Quæstio Medica

Quodlibetariis disputationibus Exagitanda In Scholis Medicorum die Jovis 13° februar.

Clariss. viro M. Michaële Marescot m. Regio, moderatore.

An In Pleniore, quam tenuiore victu minus peccatur?

Cum omnia, quæ infra lunam sunt corpora, mutua actione et perpessione continuam suæ substantiæ dissipationem sustineant, tum vel maxime humanum corpus omnium mixtorum perfectissimum, et pluribus instrumentis affabre constructum, caloris nativi humidum primigenium nulla arte reparabile depascentis vi, brevi interiret nisi alimenti appulsu in dies restauraretur. Hoc vero non qualitatibus primis, sed substantia tota (quæ nihil est aliud quam temperamenti modus quidam et inexplicabilis ratio) simile quidem semper, sed partim simile, partim dissimile, varias in ventriculo quo mutatur chylo, in hepate, quod et in parenchymatis et venarum sanguinem conficit, in partibus singulis propria earum facultate et spiritu coctiones (quarum posterior priorem non excedat) sortitum, tandem in partium aliarum, etiam minimarum, substantiam facessit.

Alimenti vero (quod nec ~~dulce~~ dulce est semper nec ex viventium genere solum sumitur) si tantum exhibeatur, ut augeantur vires, plenus, si ut conserventur, mediocris, si ut minuantur, tenuis victus appellatur. Atque huius quantitas varia esse debet pro ratione temperamenti, ætatis, regionis, anni temporis, et consuetudinis. Qualitas in sanis similis: similia enim similibus conservantur, et contraria contrariorum æquali excessu curantur. Cum vero quantum quisque sumere debeat, non facile sit ulla artificiosa coniectura assequi, sane accuratus et exquisitus cibus sanis valde periculosus existit, quia vires minuit, vitam humanam (quæ nostro quam Hippocratis sæculo brevior non est) momentaneam facit, et mortem, quæ differri quidem, vitari vero nulla arte potest, immaturam accersit.

Diæta vero in curandis morbis primum præcipuumque locum obtinens, pharmacia et chirurgia præstantior, tota ad virium robur et morbi oppugnationem, respicienda. Vires alimento servandæ: ita tamen ut non infirmitas, sed infirmitatis causa consideretur. Nam intemperie partis nobilis, præsertim calida et sicca, vehementi et arteriarum ἀπόληψις doloris vehementissimi, sæpe accedunt syncopes, in qua sanguinem mittere, purgare, tenuem victum interdum indiciam (quæ phlebotomiæ vicaria esse non potest) instituere expedit. Morbo nullus debetur cibus. In morbis tamen longis plenior: in acutis tenuis: in malignis tenuissimus exhibendus. In accessionibus cibum dare nocuum est. In principio quam in augmento aut statu magis. In declinatione cibum exhibere sæpe necessitatis est.

Victus plenus vel tenuis in copia dicitur, qualitate, et numero. Sic cremor ptisanæ (qui in morbis acutis per principia saluberrimum est alimentum) multus quidem ad plenum, parca manu exhibitus ad tenuem victum refertur. Sic vinum calidum et humidum, febricitantibus sæpe utile, ova sorbilia, carnes euchymæ, qualitate quidem et substantia plenum, parva tamen quantitate tenuem victum præbent. Sic vero morbum oppugnare et naturæ robur servare debemus, ut initio morborum plenior cibus, sensimque ad vigorem, quo tempore morbi et naturæ certamen in procinctu est minuatur.

Verum ut in arte medica nihil fere est perpetuum, sæpe accidit ut per principia pleuritidis, hepatitidis, peripneumoniæ, aliarumque inflammationum tenuissimus victus conveniat. Ipso autem morbo ingravescente, et ad statum properante, plenior sit exhibendus, ut et in luxationibus, fracturis, vulneribus, morborum principia facilius, quam incrementa, vel status, famem inediamque tolerant. Id vero in thoracis affectibus magis est perspicuum, in quibus ne cibus plenior pulmones opprimat (quod a ventriculo ad eos longa et ambagiosa sit via) minus metuitur. Hoc tamen generatim dici potest aegrotantes in pleniore, quam in tenuiore victu peccare minus: quod virium prima cura esse debeat, et quod tenui et accurato victu utentibus, si qui incidant errores, ~~graviores et~~ graviores et difficiliores fiunt.

Ergo In pleniore quam In tenuiore victu minus peccatur.

Proponebat Robertus Le Becq Parisinus anno . 1597 .

Domini Doctores disputaturi.

M. Petrus Paulmier
M. Petrus Ponson.
M. anthonius quiquebeuf.

M. Julianus Berè.
M. Nicolaus marchant.
M. franciscus Duport.

M. Joannes hautin.
M. Sulpitius Rigault.
M. Joannes le Pescheur.